



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCCXCIII. Papst Clemens VI. befiehlt dem Kaiser Karl mit den Söhnen des  
Kaiser Ludwig keinen Frieden zu schließen, bevor darüber näher berichtet  
und von Seiten des apostolischen Stuhls ein Beschluß ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

communi consilio ad premissa miserunt, presentibus sunt appensa. Datum et actum Lübecke, anno et die quibus supra.

Nach einer Abschrift in der Dreger'schen handschriftlichen Urkunden-Sammlung.

DCCCXCIII. Pappst Clemens VI. befehlt dem Kaiser Karl mit den Söhnen des Kaiser Ludwig keinen Frieden zu schließen, bevor darüber näher berichtet und von Seiten des apostolischen Stuhls ein Beschluß gefaßt worden sey.

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Cristo filio Karolo, Romanorum Imperatori semper Augusto et Bohemie Regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectum filium Johannem de Bohemia, Ordinis Praedicatorum, nuntium tuum, ad nostram praesentiam destinatum, et praesentatas nobis per eum literas excellentiae tuae, per quas super hiis, quae vertuntur, (ut tuis verbis utamur) inter te et filios dampnatae memoriae Ludewici de Bauaria, nec non super statu Almaniae, praedicti nuntii adhiberi fidem relatibus petiisti, contemplacione tua benigne recipimus, et quod ipse nobis super hiis pro parte tua prudenter exposuit et in scriptis etiam adhiberi curavit, in examen debita curationis adducimus, quod nihil speciale sed generalia tantum et succincte proposuit et redire ad te infra constitutum sibi a te, ut asseruit, brevem nimis et artum terminum festinabit. Nos quod nonnulli ex fratribus nostris propter pestem, quae, ut ad tuam credimus pervenisse notitiam, patriam hanc inaudita et incredibili clade vastavit, a curia secesserunt, nec adhuc redierunt ad illam, et quidam ex eis, qui adhuc in curia praefata remanserant, infirmitate gravantur, elicere vel deliberare nequimus, quid tibi super hujusmodi ejusdem nuntii tui ambasiata respondere possimus. Et ideo, ut tibi certitudinaliter respondeamus ad illa, significa nobis specificice et extense, quae et qualia sunt, quae inter te et praedictos ipsius Ludewici filios tractata sunt et tractantur, et quae et qualis nobis et ecclesiae Romanae pro tot injuriis, obprobriis et contumeliis, per eosdem patrem et filios Deo et eidem ecclesiae inrogatis, ut nosti, pro satisfactione condigna offeratur, ut nobis et eidem reconcilientur ecclesiae ac pacem tuam etiam mereantur, In quibus puritas tua, prout decet et expedit, mature procedat, ita quod eidem honorificentia debita deferatur ecclesiae et fama tua celebris confervetur; et consulte prospicias, utrum cum hostibus et persecutoribus ipsius ecclesiae, matris tuae, cum et tu persequi tenearis eosdem, eis in persecutionis et — — — — — pertinacia persistentibus, excellentiam tuam deceat concordiam habere vel pacem. Quocirca serenitatem tuam attente rogamus, tibi tui honoris intuitu nichillominus suadentes, quatenus donec idem Johannes vel alius nuntius tuus, quem ad nos mittere poteris, ad te cum plena et certa super hiis responsione nostra redierit, cum eisdem praefati Ludewici filiis de pace vel concordia cum ipsis habenda tractatum aliquem non consummes etc.

Nach Menden's Script. rer. German. III, S. 2028.